

2033

P O L E M I C I.

2034

carum Σολεμανος primum, mox etiam in nomine Μαομετις reperit, et quanquam Romanis Pontificibus adeo nihil diffimulet, ut scribat: *Possẽm hic pauca referre de Sanctissimo Clementis VII. contra Carolum Imper. et Maiestatem tuam, et consequenter contra ciuitatem et Ecclesiam Dei isto foedere*; tamen etiam in voce Λουθεγανα numerum Bestiae contineri ait. In Vaticinia demum de Iudicio extremo expatiatus ita concludit: *Quod reliquum est, Ferdinande, rex optime, in uotis atque supplicationibus est situm, ut Deus Zebaoth mentem Maiestatis tuae sapientiae suae et spiritus lumine illustret — Maiestatem etiam tuam cum liberis et fidelibus populis suis a sanguinaria beluae Antichristianae tyrannide brachio suo excelso et extento conseruet, tueatur, ac defendat, ut denique Maieitati tuae omnia ea diuinitus contingant, quae in prophetae et regis Dauidis psalmo 19 sunt expressa uota, sincere precamur et optamus. Amen.* Adiecta est Observatio de Vocabulo *Optio*, quo Noster per decursum frequentius usus est, quodque e *Festo, Justiniano, Plauto et Budaeo* hic *Administram, Accensum*, videlicet Antichristi, interpretatur. In uniuersum Virum graece, latineque doctum, vastaeque lectionis audias, sed paene aniliter credulum. Verum quis ille? An *Wolfg. Lazius*, qui *Methodii* Vaticinia edidit? An *Job. Langus Silesius*, non Medicus, sed Jctus ille, quem *Cod. DXXVIII.*

θεολογιζειν vidimus? An denique παραδοξος ille *Paulus Scalichius?* Germanum fuisse, Voces vernaculae non semel interiectae probant.

DXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 635 XVI. Folior. 10. 4. est Autoris cuiusdam e Protestantibus Differtatio inscripta: *De Fine Mundi sive Novissimo Die*, quae incipit: *Cum nulla sit consolatio dulcior proposita Ecclesiae Dei, quam in eo Iudicio, quod in fine huius mundi futurum sit, summo studio sunt omnium Piorum animi in eius Iudicij cogitationibus exercendi &c.* Tribus porro Quaestis res transigitur. I. *An sit huius Mundi Iudicium futurum.* II. *Quo tempore.* III. *Quo modo.* Quaestis primi initium annum Scriptionis prodit. Lego enim: *Certissimum est, hunc mundum non fuisse ab aeterno, sicut Aristoteles opinatus est, sed hoc anno 1556. iam annos 5518. praeterijisse ab eo tempore &c.* Cetera difficultatem non habent, uti nec Quaesitum III. quae omnia ad ductum sacrarum Literarum explanantur. At vero ad Quaesitum II. partim e Prophetia *Pseudoeliae* deprompta e *Traët. Talmud. Sanbedrin* et *Gemara Avo-da Sara* de sex Millibus Annorum durationis Mundi, partim e Monarchiis *Danielis*, partim e Praedicationibus *Christi* et Apostolorum vicinum Iudicii diem infert Noster, concluditque: *Postremo*

2035

C O D I C E S

2036

stremo collatio duorum Testamentorum idem probat. Vetus enim Testamentum a veteri Pentecoste usque ad Nouam durauit annos 1542. Nouum uero Testamentum a noua Pentecoste inchoatum usque ad praesentem annum a Christo nato 1556. durauit annos 1523. Hinc apparet Nouum Testamentum fere iam in annorum numero aequale esse. Tantum enim 19. anni deficiunt. Addendus itaque pluribus illis, qui eodem tempore de die et hora, de qua nemo scit, nisi solus Pater, inquit, uere. Εν παροδοῦ noto, Mahometem et Papam duos illi crudelissimos latrones esse.

DXXXIII.

¹⁹¹ Codex chartaceus germ. lat. Sec. XVI. Folior. 221. f. ex Adversariis *Jobannis Fabri* quondam *Vienn.* Episcopi, uti formula praevia typis excusa testatur, continet sequentia: I. Relationem apologeticam *Rudberti de Mosheim* Ecclesiae *Passav.* Decani de sua in religione sententia factam Commissariis Regiis *Fridrico Nauseae* et *Job. Cochlaeo Haganoe* mense *Julio 1540.* sermone germanico, cujus titulus est: *Relation vnd Handlung So Rueprecht von Mossheim Doctor Thumdechant zu Passaw aufs beuelch der Rö. Kün. Mt. den Hern Doctor Nausea vnd Doctor Cocleo, als irer Kün. Mt. Commissarien in der Religion vnd glaubens sachen angezeigt vnd fürgetragen zu Haganaw im Monat*

Julio Anno 1540. Homo hic nobili in *Styris* familia oriundus, et in adolescentia *Bononiae* literis probe excultus, ut geminum ejus de *Canibus* Opusculum, quod in *Wiens Buchdruckergeschicht* p. 371. recensui, testatum facit, Theologum deinceps agens et in varios prolapsus errores, quatuor *Antichristos* commentus est, non mitior in *Lutheranos*, *Zwinglianos*, et *Anabaptistas*, quam *Romanam* ecclesiam. Dogma illi princeps, quod et in praesenti relatione latine exprimitur: *Unitas fidei sine unitate verbi constare et subsistere non potest. Et quemadmodum ecclesia ab unitate et monade cepit, et per unitatem fidei et verbi auicta est, et tandem per verbum babel, hoc est confusionis et erroris omnium sectarum nunc in Christianismo per Antichristum collapsa, prostrata ac pene extincta est. Sic nunc ex magna dei misericordia unitas et concordia ecclesie per unitatem uerbi et fidei restituenda reformanda et conseruanda est.* Ad hoc in opus deducendum Regi *Ferdinando Pragae 1537.* 10. Aug. Orationem, quam *Concionem Regiam* adpellat, praelegerat, ab eoque rejectus *Jobanni Morono* Nuntio Pontificis tres obtulerat libellos inscriptos: *Informatio seu instructio pro summo Pontifice, seu futuro Concilio &c. Antichristianica seu confutatio Bullae indulgentiarum Pauli tertij Pont. Max. per regnum Bohemie publicatæ Anno 1537. &c.* et *Antibulla Indulgentiarum Pontificiarum*